

*pyramidaliter moveatur, sive per lineam rectam in acumen tendat. Sol autem circulariter cum ascendat, & quandoque deorsum: Ergo ignea natura Sol non erit. Deinde si essent corpora, quæ ex Sole egrediuntur, corporum penetrationem dari, necessum foret. Imago enim Solis, dum per aërem ad nubem usque tendit, aërem undique penetrat, & hac ratione duo corpora in eodem loco existerent. Excipit quidem, sed frustra, Gasendus, Aerem suos habere poros, per quos corpusculus illis pateat transitus; cum corpora composita simplicium corporum poros permeare non sit credibile. Nec concedimus, aërem habere poros, quoniam ipse aër supplementum vacui est. Si itaque aëris essent pori, requiretur, ut alius adsit aër, qui illos poros suppleret, & hujus poros iterum alius, donec tandem in infinitum exurgeret processus, vel ad minimum vacuum aliquod dari concederetur. Et qui tandem illud, quod à Sole spargi solet, formare Parelum posset, si corpus aliquod, licet minutissimum, foret? Sanè facillimò negotiò venti cujusvis levi flabellò hinc inde moveretur, ac impediretur, quò minus per lineam rectam, uti quidem fieri debebat, nubem sibi oppositam, attingere, nedum formam Solis eidem imprimere posset.*

§. 8. Equidem non diffitemur, posse Solis imagini proprietates quasdam, motum scilicet, reflexionem, figurationem, & similia, quæ tribui aliàs corporibus solent, quodammodo assignari: ejusmodi verò imaginem ideò corpus esse, eò ipsò sibi Gasendus placeat, credat Judæus Apella. Nam movetur quidem ea imago, cum à Sole ad nubem transit, sed non ad modum corporum naturalium, quibus ille motus tanquam aliqua affectio primariò competit: secundariò autem ad imaginem refertur, eò sensu, quò omne id moveri dicimus, quod ex uno loco in alterum fertur, si non per partes sui divisibiliter acquirendò locum; ad minimum tamen divisibiliter tendendò & succedendò. Quapropter & localis ille motus dici non potest, multò minus corpus aliquod Solis imago erit; cum ob hujusmodi motum de ipsis etiam Angelis idem sentiendum foret. Quòd autem reflectatur Imago Solis, ex eo pariter nondum probari corpus potest. Non enim corpori solum, sed accidentibus quoque competit reflexio; licet non eadem ratione.

ratione.